

### Theologorum academiae Hafniensis iudicium de Interim.

Quia praeceptum est, ne verbo veritatis contradicatur ullo modo,<sup>1</sup> nos ab omni contentionum et errorum studio quam alienissimi, solo veritatis amori permoti ea, quae bona conscientia veritati diuinae consentanea iudicamus, amplexi et cum timore Dei confiteri parati sumus. Quae vero a veritate verbi Dei dissonare sentimus, quantumuis pulchra aut speciosa videri possint, eodem veritatis studio damnare ac detestari decreuimus.

#### I. De epistola.<sup>2</sup>

Agnosimus publicam pacem, concordiam et tranquillitatem esse praeclara Dei dona, quibus conseruandis omnes homines summa diligentia studere tenentur.<sup>3</sup> Alioqui non esse dignos, ut vocentur homines, eos iudicamus, qui pulcherrimam humanae societatis harmoniam temere turbare praesumunt. Sed hoc a nobis Deus auertat, ut publicae pacis conseruationi cum iniuria datoris et detrimento religionis unquam studeamus, id quod epistola libello Interim praefixa modis omnibus effectum reddere conatur. Dum enim suadet praetextu publicae pacis, quietis et unionis, hoc scriptum vel ad tempus tolerandum, non impugnan-[77:]dum, nihil contra docendum, scribendum aut concionandum maximo studet euangelium Filii Dei corrumpere nec non manifestos errores et abusus contra verbum Dei, contra veram religionem confirmare. Quare potius hic tenenda est regula scripturae: „Magis oportet oboedire Deo quam hominibus“<sup>4</sup> quam ut propter publicam tranquillitatem aliquid temere, ne dicamus impie contra doctrinam euangelii Filii Dei concludere et consentire debeamus.

#### II. De libello in genere.

Quaquam in hoc scripto citantur multae sententiae sacrae scripturae et sanctorum patrum, quarum auctoritas apud nos sacrosancta semper esse debet, siue legerimus eas in suo contextu siue recte citatas ab aliis et si sententiae patrum a sacra scriptura non dissentiunt,<sup>5</sup> tamen hic dicimus in conspectu Dei, quod hoc scriptum, Interim appellatum, sit potius omnino relinquendum quam totum acceptandum seu amplectendum. Primum enim sententiis quibusdam ex verbo Dei collectis impias et humanas opiniones connectit ac commiscet et testimonia, quae citat, tam ex scriptura quam ex

<sup>1</sup> Vgl. Tit 1,9.

<sup>2</sup> Vgl. Augsburger Interim, Vorrede, 29–37.

<sup>3</sup> Vgl. Augsburger Interim, Vorrede, 29.

<sup>4</sup> Act 5,29.

<sup>5</sup> Zur Hochschätzung der altkirchlichen Tradition bei den Wittenberger Reformatoren, vor allem bei Melanchthon, vgl. Wriedt, Schrift und Tradition, bes. 160–163.